

Manet haec obligatio omnibus illis diebus, etiamsi in quibusdam populo indultum fuit a S. Sede ut, sublata prohibitione operum servilium, Missa tantum audiatur (Bened. XIV Const. cit.), vel insuper ipsa Missae audiendae obligatio sublata est; immo etiamsi sollemnitatis festi translata est ad sequentem Dominicam, ut fit in Gallia et Belgio, pro quibusdam festis, ex. gr. Epiphaniae. Excipitur tantum casus quo, una cum sollemnitate, divinum officium translatum fuerit in Dominicam diem. (Pii IX Const. cit.) Si autem officium tantum transfertur, manet applicanda Missa eo die quo sollemnitatis celebratur; sed si eo die alia quoque festivitas celebratur, utrique unius Missae applicatione fit satis. (S. C. C. 24 Apr. 1875 et 28 Apr. 1888; Act. S. S. t. 21. p. 152)

Ex Const. Leonis XIII (10 Jun. 1882), eadem dierum determinatio servanda est ab episcopis dioecesanis et abbatibus, qui jurisdictionem quasi-episcopalem in territorium *nullius dioecesis* exercent. Discrimen unicum eodem documento stabilitur inter parochos et episcopos: hi enim, si duabus dioecesibus aequae principaliter unitis praesunt, satisfaciunt unico Sacro in singulis festis celebrato, dum parochi duabus paroeciis praepositi (nisi unio sit plenaria et exstinctiva ita ut jam in unam paroeciam redactae fuerint) duo Sacra pro populo applicare debent. (S. C. C. 12 Martii 1774)

227. IV. Principalis obligatio in eo est quod pro populo celebretur: et haec certe gravis est. Huic accedunt determinationes minoris momenti: nempe ut celebretur *per se*, non per alium; — *die praefixo*, non alio quovis; et, si de paroco agitur, *in ecclesia parochiali*. Haec crebro omittuntur, mortalis culpa; raro, levis videtur. (Lehm. II. n. 196)

Quandoque tamen, ob justas causas, hae accidentales determinationes omitti possunt. Sic:

1^o Potest quandoque parochus, ob justam et legitimam causam, Missam pro populo alii committere celebrandam. (S. C. R. 22 Jul. 1848; Coll. S. R. n. 2967) Attamen severas se exhibent SS. CC. in hac causa probanda. Sic S. C. C. 9 Apr. 1881 (Coll. P. F. n. 211) noluit permittere ut parochus, multis curis distentus, *frequenter* alii committeret celebrationem Missae pro populo, quae in hac regione cantari solebat. Idem antea (26 Jan. 1771) responderat de casu quo essent celebrandae exequiae, praesente cadavere.

2^o Paroco egenti concedere potest episcopus ut die quo pro grege celebrare debet, accipiat stipendium et pro isto applicet Missam, dummodo celebret in ecclesia parochiali et postea Missam pro populo applicet. Numquam tamen reddituum exiguitas vel consuetudo contraria ipsam obligationem celebrandi pro grege tollere potest. (Bened. XIV Const. cit.) Sed quandoque S. Sedes, indulto concessa, parochi egentis obligationem temperat.

3^o Parochus, die festo legitime absens, satisfacit celebrando pro grege ubi versatur, dummodo alius sacerdos in ecclesia parochiali pro populo commoditate celebret. Potest etiam, si malit, curam applicandi Sacri huic alii sacerdoti committere. (S. C. C. 14 Dec. 1872; Coll. P. F. n. 207)

4^o Non tenetur parochus ad Missam pro grege cantandam, nisi episcopus jusserit ut Missa sollemnis a paroco celebretur. (Gury, II. n. 363)

V. Parochus, utcumque impeditus quominus celebret (ex. gr. ob infirmitatem), tenetur curare ut Missa die festo per alium in ecclesia parochiali celebretur et pro populo applicetur; quod si non factum fuit, tenetur Missam pro populo quamprimum celebrare. (S. C. C. resp. cit.) Ita sentit S. Alph. (n. 326), eo quod obligatio applicandi Missam non tantum personalis, sed et realis est, utpote una ex obligationibus muneris pastoris adnexis, et concordant fere omnes recentiores. (D'Annib. III. n. 169; Berardi, de Paroco, n. 97 seqq., etc.) (1) Poterit etiam episcopus praecipere parochis aliisque sacerdotibus curae animarum addictis ut diebus in catalogo Urbani VIII non indicatis celebrent si, ob mores receptos aliamve rationem, id necessarium duxerit ut munus ab iis sacerdotibus susceptum convenienter impleatur.

§ 3. DE OBLIGATIONE ORTA E STIPENDIO.

228. I. Licet sacerdoti se *ex justitia obligare* ad Missam applicandam ad intentionem illius a quo stipendium seu eleemosynam accepit.

Id indubie constat e consuetudine, quae jam a pluribus saeculis in universa Ecclesia recepta est. (Bened. XIV, de Syn. l. 5. c. 8) Hanc praxim ab omni simonia immunem esse, inde patet quod stipendium non accipitur tamquam Missae pretium, sed ad sustentationem ministri: qui proinde, vero sensu, gratis celebrare dicendus est. (Lugo, disp. 21. n. 13) Immo aequum erat ut obligatio alendi sacerdotes, quae cunctis fidelibus incumbit (Vol. I. n. 434), praesertim impleatur ab iis qui specialem fructum ex eorum ministerio optarent. Fit igitur, inter dantem et accipientem stipendium, contractus, non permutationis, sed innominatus: *Do ut facias*.

Neque obstat sacerdotem jam forte habere unde vivat, sive e propriis bonis, sive ex aliis redditibus ecclesiasticis: nam nemo tenetur

(1) Dubitat Ball. P. (tr. 6. sect. 4. n. 80) num haec obligatio adsit: sed hoc dubium jam non videtur probabile, praesertim post responsum citatum S. C. C. quod apud Ball. P. (l. c.) non refertur.

ex suo dare quae in alterius gratiam confert, quales sunt expensae necessario faciendae ut sacerdos aptus sit ad Sacrum in alterius favorem celebrandum; reliqui autem redditus in justam laboris compensationem conferuntur. (Vol. I. n. 286) Adverte etiam stipendium Missarum non solere statui tantum ut per se solum sacerdoti alendo sufficiat, tum quia celebratio Sacri non requirit integrae diei laborem, tum quia supponitur clericis etiam alia vitae subsidia competere. (Bened. XIV, de Syn. l. 5. c. 9. n. 1) Neque per se simoniacum esse eum qui celebrat principaliter ad lucrandum stipendium, secus non celebraturus, liquet ex dictis Vol. I. n. 288, V.

II. Sacerdos, etiam Regularis, juste exigere nequit **stipendium majus** quam quod consuetudine receptum vel ab Ordinario statutum est. (S. C. C. 15 Nov. 1698; Bened. XIV, Inst. 56. n. 10) Quodsi majus exigit (nisi labore extrinseco et in taxa non praeviso excusetur), praeter scandalum quod facile oriri potest, injuste agit ideoque excessum reddere tenetur; probabiliter tamen a peccato simoniae excusatur. (Vol. I. n. 287) Ab iis qui prorsus sponte et scienter dant, stipendium majus accipere potest, etiamsi istud plurium centenarum Missarum eleemosynas aequaret. (S. C. P. F. 30 Jul. 1877; Coll. n. 893)

Quandoque etiam episcopi prohibent ne accipiatur **stipendium minus** quam quod in taxa statuitur: ita prohibuerunt Patres Conc. Baltim. II (n. 369) ne *regulariter* id fieret. Huic statuto ab omnibus parendum est, siquidem juste id praecipitur, ne quodammodo vilescat Missae sacrificium. (S. Alph. n. 320) Eidem tamen non adversaretur qui interdum a paupere paucos asses acciperet Missamque repromitteret: haec enim potius esset gratuita promissio palliata.

229. III. Numquam sacerdoti licet obligationi e pluribus stipendiis ortae satisfacere **unica celebratione**. Ratio manifesta est in sententia quam de valore sacrificii Missae sequimur (n. 218); qui vero fructum infinitum reputant, idem tenent, saltem ob clare manifestatam Ecclesiae voluntatem. Sic damnata fuit ab Alex. VII prop. 10^a: "Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere et Sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram."

Attamen R. P. potest et solet, justas ob causas, Missarum obligationem minuere vel penitus extinguere, puta si injuria temporum factum est ut redditus foundationis jam non sufficiant ad onera Missarum exsolvenda, si sacerdos aliquot Missas celebrare omisit, neque sine magno incommodo hanc injuriam resarcire potest, etc. Id praestat R. P. "ex spi-

rituali thesauro Ecclesiae supplendo quidquid in oneribus implendis peccatum est." (Bened. XIV, de Syn. l. 13. c. 25. n. 15) Nempe, eadem ratione qua indulgentias elargitur, satisfactiones Christi et Sanctorum applicare potest vivis vel defunctis quibus Sacrum applicandum fuisset, vel etiam dirigere preces quae nomine Ecclesiae fiunt, ad fructum impetrationis suppleendum. Hac ratione etiam explicatur quomodo, sine justitiae laesione, quandoque a S. Sede indulgeatur ut sacerdotes pauperes una Missa satisfaciant pro pluribus quas, accepto stipendio, ex justitia celebrare debeant. (Lehmk. II. n. 200, nota; Ball. P. tr. 8. p. 2. n. 390)

Hodie facultas reducendi onera Missarum privative spectat ad S. Sedem, ex decreto Urbani VIII. (S. C. C. 21 Jun. 1625) Quandoque tamen eadem facultas, tempore et extensione limitata, episcopis conceditur; insuper iisdem competit quotiens ipse fundator seu testator expresse hanc facultatem penes episcopum esse voluit. (S. C. C. decr. cit.) Manifestum tamen est non posse episcopum supplere e thesauro Ecclesiae pro Missis celebrandis. Si quaedam omissae sint et aegre celebrari possint, recurat confessarius pro foro interno ad S. Poenitentiarium. Cfr. Berardi, Prax. Conf. n. 3530 seqq.

Verum, ubi Sacrum pluribus gratuito promissum est, opinantur multi (Gury, II. n. 370; D'Annib. III. n. 190, nota 19) unica celebratione satisfieri posse: quod cum sententia de infinito valore Missae prorsus congruit. Ibi tamen aliquam deceptionem intervenire opinamur, siquidem multo probabilius est fructum dividendum esse inter plures; ii vero quibus promittitur, intellegunt Sacrum in suum favorem celebratum iri perinde ac si stipendium dedissent. Regulariter promissio hujusmodi obligat tantum sub levi, nisi quis diserte intenderit se obligare ex justitia (Vol. I. n. 607), vel in se susceperit onus illius qui sub gravi celebrare debebat.

230 IV. Graviter peccat qui **omittit** vel unum Sacrum quod, accepto stipendio, celebrare debebat. Id fere omnes recentiores tamquam certum habent (Lehmk. II. n. 199; D'Annib. III. n. 190; Palm. in nota ad Ball. P. n. 250, etc.), quamquam S. Alph. (n. 317) id tantum probabilius censet, ob dissidium plurium AA. existimantium talem omissionem fore levem, nisi gravis sit quantitas stipendii pro Missa accepti.

Ratio praecipua est: Ecclesiam omnino velle ut sacerdos gravis obligatione adstringatur ad implendum contractum tanti momenti, quemadmodum liquet e tot documentis quibus severissime urget ne Sacra ob stipendium debita omittantur, vel etiam diutius differantur. Apparet igitur apertum discrimen cum pacto mere privato quo alteri aliqua oratio vel Sacrum promittitur, quamvis etiam istius violatione grave detrimentum promissario inferatur. Falsitas contrariae sententiae vel inde

eruitur quod, si gravitas culpae e materia stipendii eruenda esset, quandoque viginti et amplius Missarum omissio levis foret: quod vix non absurdum est.

Quamdiu curret tempus aptum applicando Sacro, gravis erit obligatio vel celebrandi, vel restituendi pecuniam; hoc tempore elapso, non videtur sub gravi urgere restitutio, nisi stipendium ad summam saltem relative gravem pertingat. (Vol. I. n. 507)

V. Sacrum, stipendio accepto, regulariter celebrandum est infra duos menses, ita ut graviter peccet qui illud notabiliter ultra hoc tempus differat. Nam Innoc. XII, decreta Urbani VIII confirmans et interpretans, edixit (Const. *Nuper*, 23 Nov. 1697; Coll. P. F. n. 867) eos qui nondum satisfecerint Missarum oneribus a se susceptis non prohiberi quidem absolute quominus novas eleemosynas Missarum manualium accipiant, sed eas tantum suscipere posse " dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere. " (Deer. cit. ad 10^{um})

Istud modicum tempus S. C. C. (17 Jul. 1655) interpretata est de unius mensis, spatio. Quod responsum non solum ad ecclesias, sed ad privatos sacerdotes pertinere, eadem S. C. declaravit (cfr. cit. Const. *Nuper*): quamobrem Missas susceptas infra mensem celebrandas esse quidam existimant. (Gasp. op. cit. I. n. 569) Nihilominus in conscientia tutum existimamus eum qui easdem intra duos menses celebraverit, tum ob sententiam magni nominis AA., ut Lugo (de Euch. disp. 21. n. 34), quae S. Alphonso (n. 317) visa est post hanc declarationem probabilis, tum ob consuetudinem, quam testantur etiam Statuta Synodalia. (Stat. Mechl. n. 332)

Quaedam exceptiones huic regulae apponendae sunt:

1^o Brevius vel longius tempus conceditur, si ita convenit cum stipendio dante, cujus voluntas pro lege habenda est.

2^o Unus mensis tantum conceditur, si Missa celebranda est pro anima nuper defuncti: haec enim graviori detrimento per dilationem exponitur. (S. Alph. l. c.)

3^o Grave est etiam ad paucos dies differre, si ita elabatur tempus utile sublevandae necessitati urgenti, puta si stipendium collatum est ad obtinendam periculose aegrotantis sanitatem, partum felicem, etc.

In hoc tertio casu, cessante necessitate, pecunia restituenda est; in reliquis potest adhuc celebrando satisfieri, licet dilatione peccatum sit.

Ut eliminarentur varii abusus, qui " valde lateque invaluerant, " S. C. C. (25 Maii 1893; Act. S. S. t. 26. p. 26) decrevit " sub gravi oboedientiae praecepto... ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sint, sive laici, in fine

cujuslibet anni, Missarum onera quae reliqua sunt et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant, juxta modum ab iisdem definiendum.,"

VI. Si reditus Missarum fundatarum omnino deficient, sine ulla culpa illius cui onus eas celebrandi incumbat, cessat omnis obligatio eas celebrandi, ut pluries declaravit S. C. C. (18 Aug. 1705, etc.) Quodsi iidem reditus minuuntur tantum, certe licet minuere numerum Missarum celebrandarum, quando fundator certam eleemosynam pro singulis tribuendam determinavit. Si autem numerus Missarum a fundatore determinatus est, reditus vero ita decreverunt ut jam non sufficiant solvendae taxae ordinariae pro singulis Missis, plerique (Gasp. I. n. 588) censent numerum minui non posse nisi a Sede Apostolica, quia declaratum est a S. C. C. (cfr. Const. *Nuper*) talem reductionem a nullo inferiore fieri posse. Alii (Frassinetti, Theol. Mor. t. II. n. 372; Gennari, Cons. Can. II. p. 304) probabilius opinantur in eo casu reductionem propria auctoritate fieri posse, quia S. Sedes sibi tantum reservavit reductionem stabilem, ubi ob minutum valorem pecuniae aliasve circumstantias mutatas, eleemosyna ab initio assignata jam non videatur sufficiens. Sed manet obligatio celebrandi integrum numerum Missarum a fundatore statutum, si reditus omnino vel ex parte perierunt culpa illius ad quem pertinet: quae culpa intellegenda videtur de quavis negligentia voluntaria.

Sub iisdem condicionibus omitti poterunt ex toto vel ex parte Missae manuales, si pecunia pro stipendio accepta ex toto vel ex parte periit, puta furto sublata. (Gasp. l. c.) Supponendum tamen est pecuniam illam non esse mixtam cum reliquis bonis illius qui Missarum obligationem acceptavit vel ab iis iterum fuisse separatam, puta ut tertio celebraturo tradantur.

231. VII. Peccatum ex genere suo grave contra virtutem religionis admittit quicumque retinet partem stipendii quod tradere debet alteri Missam celebraturo (Urbani VIII et Innoc. XII Const. cit.), etiamsi pecuniam hanc in pios usus impendat. (S. C. C. 19 Jan. 1869) Id tamen procedit tantum de Missis *manualibus*, pro quibus scilicet unice titulo celebrationis eleemosyna offertur, et etiam in istis facienda est exceptio pro casu quo alter omnino sponte partem stipendii oblato remittit; eum tamen rogare ut remittat, non licet. (Bened. XIV, Const. *Quanta cura*, 30 Jun. 1741)

Licitum vero est retinere excessum supra taxam ordinariam quotienscumque occurrit *titulus celebrationi extrinsecus*, nempe:

1^o Si Missa inhaeret beneficio vel capellaniae: nam fundatores solent

augere stipendium in favorem beneficiati vel capellani. (S. C. C. 23 Nov. 1697, ad 8; Coll. P. F. n. 867)

2° Si Missa in perpetuum certo cuidam sacerdoti demandatur: nam cura perpetuo invigilandi foundationis executioni est pretio aestimabilis. Attamen si fundatae Missae cura alicui ecclesiae est adnexa, parochus qui eam alii sacerdoti celebrandam committit, integrum stipendium eidem dare tenetur. (S. C. C. 25 Jul. 1874)

3° Si cui legatum relinquatur gravatum certo et determinato Missarum numero, etiamsi mentio facta est stipendii, sed tantum ad determinandum *numerum* Missarum. At manualia censenda sunt stipendia, si quis in testamento designatus est non ut legatarius, sed ut merus executor legati Missarum, et quotienscumque testator vel fundator explicite vel implicite prohibuit ne pars stipendii ab herede, legatario, etc. retineatur: qua de re judicare saepe arduum est. Videsis Act. S. S. t. 4. p. 39 seqq. et t. 8. p. 75 seqq.

4° Si quis majorem eleemosynam tribuit ratione amicitiae, paupertatis, gratitudinis. Id supponi potest quando eleemosyna notabiliter excedit eam quae dari solet, ut puta si pro Missa qualibet dantur quinque franci ubi duorum francorum stipendium esse solet; minime vero, nisi peculiaris sint adjuncta, ubi mediocris est excessus.

5° Si pinguius stipendium datum est ratione officii parochialis seu dignitatis, ut fit in exsequiis et Missis nuptialibus. Attamen quod in hujusmodi Missis datur supra consuetum stipendium ratione cantus, horae tardioris, etc. certe tradendum est celebranti. (Gasp. op. cit. I. n. 603)

QUAER. Num sacerdos qui indebite excessum stipendii retinuerit, violet justitiam commutativam ideoque ad restitutionem teneatur.

RESP. Affirmant plerique cum S. Alph. (n. 322), duplici ratione nixi: a) Damnata est ab Alex. VII prop. 9^a: "Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. „ Ergo qui ita agit, non satisfacit; satisfacere autem est actus justitiae, ac proinde is laedit justitiam. Sed verba *potest satisfacere* commode intellegi possunt de plena licitate: quare ex damnatione sequitur tantum certo peccare eum qui sic agat, non autem necessario eum peccare contra justitiam. — b) Sacerdos qui eleemosynam accepit, non acquirit ejus dominium, nisi juxta voluntatem dantis: haec autem est ut Missa pro tali stipendio celebretur. Igitur, si tradit minorem eleemosynam, violat substantiam contractus et nullum titulum habet ut excessum sibi retineat. Hunc ergo restituere debet, probabilius ei qui Missam celebravit et qui, cum onere suscepto, jus ad integram eleemosynam obtinuit. At non liquet talem

esse intentionem illius qui stipendium contulit: siquidem regulariter licet oneri isti satisfacere per alium, atque in casu nostro certe satisfactum esset, si alter sponte se obtulisset ad gratis celebrandum.

Ideo, cum pro ista sententia deficiat certum argumentum, probabilem habemus cum Ball. P. (n. 257), D'Annib. (III. n. 190, nota 17) etc., sententiam negantem plurimorum veterum. Haec tamen nequaquam extendenda est ad executorum testamenti qui retineret sibi partem summae quam in stipendia Missarum erogare debuisset, curando ex. gr. ut Missae celebrentur ubi minora sunt stipendia: id enim manifeste injustum foret, siquidem numquam dominium illarum eleemosynarum obtinuit, ac proinde nullo titulo partem illarum retineret. (S. Alph. n. 322)

VIII. Probabilius ab omni peccato immunis est sacerdos qui accepto pinguiore stipendio pro hodierna celebratione, dum hodie ad eam intentionem celebrare nequit, rogat alium sacerdotem ut, accepto stipendio ordinario, hodie pro se celebret, dum ipse alia die ad ejus intentionem celebraturus est. Aliud enim est retinere partem pretii, aliud permutare Missam et diem cum eo qui sponte omnino consentit. Quare non apparet hic turpis lucri species, ob quam S. Alph. (l. c.) id culpa venialis damnavit. (Ball. P. n. 258) Quidam tamen (Gasp. n. 610) id illicitum putant, quia non traditur totum stipendium ei qui reapse Missam pro qua datum est, celebravit: verum cum adsit, in permutatione libere acceptata, spontanea condonatio, ratio inanis videtur. Alii (Berardi, Prax. Conf. n. 4401) idem deducunt e sententia S. C. C. quae 6 Maii 1865 (Act. S. S. t. II. p. 203) reprobavit conventionem aliquam in qua hujusmodi permutatio intentionum sine permutatione stipendiorum continebatur. Sed, ut ipse Gasparri (l. c.) advertit, vix aliquid certi de praesenti quaestione inde deduci potest, quia propter alias rationes reprobari potuit conventio, puta quia canonici, vi illius, reipsa numquam pro benefactoribus in genere applicabant. (1)

232. IX. Administratores locorum piorum nullam vel minimam partem ex eleemosynis Missarum retinere possunt, ratione expensarum in Missis celebrandis, nisi alios non habeant reditus: quo casu nihil detrahi potest supra expensas pro ipsa Missa necessario subeundas, et curandum est ut ex pecuniis quae supersunt tot Missae celebrentur quot ab offerentibus eleemosynas praescriptae fuerint. (S. C. C. 23 Nov. 1697, ad 7)

(1) Quae apud Berardi (l. c.) leguntur: "Non sustineri conventionem, etiam assensu Episcopi initam, permutandi Sacrificiorum applicationem, non inde facta respectiva permutatione eleemosynae „ non sunt verba S. Congregationis, sed corollarium quod redactores Ephemeridum "Acta S. Sedis „ sua tantum auctoritate e responso S. C. C. deduxerunt.